



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 54. Quid & quotuplex sit vacatio beneficii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

# TITULUS VII

## De Institutionibus.

Hunc quoque titulum à me plenè expositum invenies in *for. benef. p. 2. q. 6. & 7.* ubi quid & quotuplex sit Institutio. & deinceps à *q. 169. ad q. 197.* ubi de habente instituere. à *q. 169. ad q. 178.* de necessitate, modo ac tempore faciendæ institutionis: à *q. 178. ad q. 193.* de personis instituendis.

# TITULUS VIII.

## De Concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.

*Quest. 54. Quid & quotuplex sit vacatio beneficii?*

**R**esp. ad primum: Vacare dicitur beneficium, quod existens in rerum natura non habet proprietarium vel possessorem; respective enim utriusque tam proprietarii, quam possessoris datur vacatio. Dicitur autem existens in rerum natura: nam neque deficiente proprietario, multoque minus possessore, semel erectum deficit. In quo distinguitur à pensione ecclesiastica, quæ post mortem proprietarii seu pensionarii non vacat, sed finitur seu extinguitur. *Pirh. b. r. num. 1. Azor. p. 2. l. 7. c. 17. q. 1.*

**2.** Resp. ad secundum: Vacatio in genere triplex est; nimirum de facto tantum, de jure tantum, & facto & de jure simul. *Azor. loc. cit. qu. 2. Rebuff. in pr. benef. tit. requisita ad collat. à n. 56. Barbof. jur. eccles. l. 3. c. 14. num. 71.* & alii passim. Vacare de facto tantum, seu vacare tantum quò ad possessionem dicitur beneficium, ubi quis titulum canonicum beneficii seu jus in eo habet, possessionem tamen illius nec ille, nec quisquam alius habet. V. g. dum collatarius post factam sibi & acceptatam collationem illius professionem necdum accepit. Item, dum verus Dominus retinens titulum beneficii possessionem habitam amittit; quia eà dejicitur vi, vel per metum injustè incussum renunciat beneficio, nemine alio ejus possessionem occupante. Item, dum is, qui non habet justum titulum aut jus in beneficio, sed solam possessionem aut detentionem, decedit, alio interim existente, qui habet verum jus in beneficio. Ac denique, ut *Barbof. loc. cit.* citans *Abb. inc. tua. de cler. non resid.* dum quis longo tempore absens à beneficio suo, nullo, qui serviat ei, constituto Vicario, nesciturque ubi moretur; non enim per hoc amittit titulum, nisi fortè per canonicam citationem & monitionem in contumaciam eo privatus fuerit. Sed & de eo merito dubitari potest, num per hoc amittat possessionem. De cætero exemplum hujus vacationis de facto, quod adducunt *Azor. Pirh. Reiffenstuel.* de eo, qui collatum beneficium necdum accepit, non subsistit; quia per collationem necdum acceptatam jus nullum in beneficio acquiritur, adeoque tale beneficium adhuc vacare potest de jure, vide me in *for. benef. p. 3. q. 2.*

*R. P. Leuv. Jur. Can. Lib. III.*

**2.** De jure tantum seu quò ad titulum & proprietatem tantum vacare dicitur beneficium, dum quis possidet beneficium absque eo, quò is aut alius quispiam titulum ejus seu jus in eo habet. V. g. Dum quis sine titulo canonico de facto se intrusit in beneficio, in quo nemo alius habet jus. Item, dum quis cum colorato titulo possessionem beneficii per obitum vacantis capit. Item, dum quis per affectuionem secundi beneficii incompatibilis cum beneficio habito ex juris dispositione eo ipso perdit primum, seu eo privatus existit, absque eo, quò possessionem prioris dimittat, seu desinat illud occupare. Idem est, dum quis ob delictum sine ulla alia monitione, citatione aut sententia privationis per hominem lata, ex juris dispositione eo privatus, non desinat illud occupare. vide me *l. c. n. 2.*

**3.** De facto & de jure simul vacare dicitur beneficium, dum neque ejus titulus, neque possessio est penes aliquem. V. g. dum habens titulum verum beneficii unà cum possessione illius moritur naturaliter, aut illud resignans, vel ob delictum eo privatus, dimittit quoque possessionem illius, nullo alio de eo proviso, aut etiam illius possessionem occupante. vide me *loc. cit. num. 3.* ubi etiam *num. 4.* ex *Mandof. Gonz. &c.* annotavi, vacationem de facto & de jure esse veriore, potentior & plenior vacationem. Propriè quoque non dici vacare beneficium, nisi, dum à nemine detinetur, nec jure, nec de facto. Et hinc cujuslibet dispositionis verba esse intelligenda propriè de hac vacatione, & in hoc ejus potentiore significato.

*Quest. 55. Vacatio beneficiorum in specie quot modis contingat?*

**1.** Resp. Pluribus in specie modis vacant beneficia. Puta, primò per mortem naturalem beneficiati. de quo vide me in *for. benef. p. 3. à qu. 26. ad quest. 36.* ubi *quest. 27.* quid veniat vel non veniat nomine mortis. *quest. 28.* quid requiratur, ut beneficium vacet per obitum alicujus. *quest. 29.* an vacet per mortem commendatarii. *quest. 30.* an per obitum privati beneficio. *quest. 31.* an & qualiter vacet per obitum habentis jus ad regressum beneficii dimissi. *quest. 32.* an & qualiter per

E

obi-